

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Joannis Reuchlin Phorcensis LL. doctoris celebratissimi
Sergius uel capitis caput**

Simler, Georg

Tubingae, 1513

Ioanni Revchlin phorcensi LL. doctori preceptori svo Georgius Simler

[urn:nbn:de:bsz:31-270887](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270887)

IOANNI REUCHLIN PHORCENSI LL.
DOCTORI PRECEPTORI SVO

Georgius Simler

Salutem primum iam a principio propiciam mihi atq; tibi dulci-
sime preceptor renuncio. Suauidica illa tua illectus uersiculorum modu-
latione & si me literę non nihil deficerent, temperare mihi tamen non po-
tui quin aliquid adicerem, quo discipulos meos scholasticos non illos
adulescentulos, quibus contingere nihil potest illecebrosius, quam nox,
muller et vinũ, meos inquam beniuolentia uadarẽ, Sergium tuã meaq;
annotamenta difficili molestaq; cunctatione expectantẽs, que madmo-
dum tu posteritatem in laudem tuam perpetuo concinnandã despondi-
sti. Sed non nihil metuerem in eam memē penetrasse palæstram, ubi da-
mnis desudascit, & succidaneo tergo formidarem symbolas, uelut Plau-
tinus ille seruus scapulis meis imminentes, propter eos quorũ frons ma-
tutina feueritudine caperabit, nisi me Mar. Varro grauissimus auctor
hoc metu uindicaret, dicens nos debere in mediũ proferre quę scimus,
neminem enim omnia scire posse, & raro fit, ut rectos & omnes nume-
ros (quemadmodum in te) quisquam inueniat, Columella quoq; nos
solatur, cum inquit, quoscuq; mortales habuerint sapientissimos, scisse
multa, non omnia, non absurde facit etiam ut me animi angam, qui non
examulsum cuncta collocaui, compendio uerba multa defugiens, & for-
sitan erroris aliquid admisi, & rem scitu necessariam neglexi, respõdeat
Cicero, si culpa dici meretur qd rem aggressus sum fortiter. Sic Cicero de
oratore perfecto ad M. Brutum. Par est omnis omnia ex periri, qui res
magnas & magnopere expetendas concupiuerunt, Quis quem natu-
ra sua aut illa præstantis ingenii uis forte deficiet, aut minus instructus
erit magnarũ artium disciplinis, teneat tamen eum cursum quem pote-
rit, prima enim sequentem, honestum est in secundis tertisq; consistere,
Exorsa igitur hæc tela uirtute atq; auspiciis tuis preceptor suauissime cui
si placuero, magnam beniuolentiam pauca sum licitatus mercedula,
meq; duodecim deis multo tanto chariorem, quos mecũ militare existi-
mo, quem unice unum plurimi pendo, ceteros muridas non facio pili,
quibus male morigeris placere nemo potest, etiam qui habuerit soccis
supactum de auro solum, neq; nos illis aut seuisimus aut messuimus, sed
tibi, cui si non placuero, plaustrum (ut est in ueterum prouerbio) intem-
pestiue perculi, Verum enim uero si quid errauimus, qui nobis impu-
tarent, ignoscant, non oblitũ illius uersiculi a doctissimo quodam græco
recitati ἀνθρώπου ἕστι πάρος τὸ ἀμαρτάνειν. Et si nec illo contenti sunt
uersiculo, superueniat romanus ille fulminator Marcus Cicero philip-
pica. xii. dicens, Errare cuiusuis esse hominis, nullius uero nisi insipientis
perseuerare in errore, Posteriores enim cogitationes (uti aiunt) semper
solent esse sapientiores, At mox aliud diluendum eximẽdumq; obicit

INDEX
pleraque scilicet omilla, scitu cognitumq; dignissima, ad hunc ita compugnā
tem possum dicere, si tu ea es dexteritate predicus ingenii, & hanc interpreta
tionem uulgariam nō supputas succiliuo & tumultuario studio excusam,
ad eam reuile, & si quid deest addas atq; consarcias, ea tenus quatenus pro
deat absolutior, & facies rem non mihi solum sed etiam posteritati gratis
simam. Ad te repedo præceptor amatissime. Nam mihi quam facile
quamq; fortunate eueniat non tam maceror, quam ut tibi quieto
esse liceat, quod spero, si nō erit officii gratia surda tui. Nam
cunctis prodesse laboras, nihil animaduertens quibus
dam si cor sauciat inuidia, & altissima queq; uen
ei perflant, tu ueris nominibus uenturam
deuincis ætatem, ita pleno sapie pe
ctore, qui plenissimo studiosos
literarum demereris obse
quio, qua propter pi
acularem fieri
oportet
obstulciam sur
am acheruntica di
gnam regione, qui humani
tatem & gloriam tuam refra
ctaria interpellat oblatratione, qui
uelo remocq; (ut dicitur) ad bonam frugē
ducis omnes. Igitur te dii ament, ualeasq; ut uis
saluus semper atq; fortunatus, dii tibi dent annos (li
bet iam Quidio concinere) a te nam cætera sumes. Gloria
Phorcensis lausq; decusq; soli.
Ex Lacydio nostro

I